



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones ab Alexandro VIII. Innocentio XII. & Clemente
XI. editas

Luxemburgi, 1739

Anno Decimo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74715)

cinio communiri summopere desideret : Nos ipsius Antonii votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum praeinsertum a memorato Alderano Episcopo Cardinale, & Protectore, editum, ut praefertur, auctoritate Apostolica tenore presentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Confirmatio relati Decreti Card. Protectoris.

Clausula.

§. 2. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quocumque spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, praedictorum Ordinis, & Provinciae etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die X. Julii MDCC. Pontific. Nostri Anno Nono.

CXXXVI.

Confirmatur Decretum Congregationis Visitationis contra Regulares Aromatariam exercentes pro Collegio Aromatariorum de Urbe.

De Confessariis Regularibus vide Const. ed. 1698. Sep. 6. P. 8. Et de eorum privilegiorum revocatione Clem. XI. Const. ed. 1719. Sep. 7. P. 19.

Dat. 29. Julii 1700. An. 10.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Alias emanavit a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum filiorum Romanae Curiae Praelatorum super negotiis Visitationis Apostolicae Ecclesiarum, & Locorum piorum Almae Ur-

bis Nostrae a Nobis deputatorum, Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet - Sacra Congregatio Visitationis Apostolicae habita die 15. Martii 1695. In Causa Romana pro Collegio Aromatariorum contra Religiosos Aromatariam exercentes, proponente Eminentissimo, ac Reverendissimo Domino Cardinale Acciajolo rescribit, ut infra, videlicet - Servetur Decretum Sacrae Visitationis Anni 1662., nempe licere Regularibus utriusque sexus retinere Aromatariam intra Claustra Monasterii pro Religiosis pauperibus, & Benefactoribus dumtaxat, quibus gratis medicamenta suppeditari debeant juxta Barchinonen. coram Caccia; secus vero illa vendere Saecularibus, & aliis Personis Ecclesiasticis exceptis Theriaca, & Jacinto, & aliis vulgo nuncupatis *Chimici*, dummodo tamen non sint praeparata, non composita, neque admixta cum aliis speciebus medicaminum ad usum potionis, vel alterius medicamenti confecti cum receptis Medicorum. Datum dicta die 15. Maji 1695. - I. Caracciolum Secretarium.

§. 1. Cum autem, sicut dilecti filii Collegium, & Consules Aromatariorum dictae Urbis Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi Decretum hujusmodi, qui firmus subsistat, & servetur exactus, Apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri summopere desideret: Nos specialem ipsis Exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum praeinsertum auctoritate Apostolica tenore presentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Preces Collegii & Consulum.

Confirmatio relati Decreti.

Clausula.

§. 2. Decernentes easdem praesentes Literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quocumque spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem praesentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XXIX. Julii MDCC. Pontificatus nostri Anno Decimo.